

IV, 52



OK 271, 27
EPISTOLA
QVA
AMICVS AMICO
IN CIVITATE PATRIA
COLLATVM MVNVS
FORTVNATVM ESSE IVBET
ET DE
ADOLPHI CLARMVNDI
CLARISSIMORVM IN RE LITTERARIA
VIRORVM VITIS
ET ADIECTIS ICONIBVS
IN PRIMIS
GE. SCHVBARTI
DISSERIT

APVD IOANNEM BIELKIVM.
MDCCIV.



A. S. T. P. I. E.

U. N. I. C. A. D. M. A.

P. A. R. T. A. T. I. V. I. O. M.

S. U. K. U. R. A. T. I. O. N.

T. H. I. S. E. M. U. C. H. I. C. H.

E. X. T. R.

I. U. N. I. C. I. O. N. O. M.

A. T. T. A. T. T. A. T. T. A. T. T. A. T.

B. U. S. T. I. V. I. S. T. I. V. I. S. T. I. V. I. S.

S. U. C. H. O. M. A. T. I. C. H. O. M. A. T. I. C. H. O. M. A. T. I. C. H.

I. T. R. A. T. I. C. H. O. M. A. T. I. C. H. O. M. A. T. I. C. H. O. M. A. T. I. C. H.

G. I. D.

CLARISSIME VIR

amicē honorande



Vltis me nominibus

delectarunt litteræ tuæ , quibus
pro necessitudine amicitiæ , quæ
tibi mecum a multo bene tem-
pore intercedit , significasti , quæ
paullo ante fama , atque sermo-

ne hominum de te ferebantur . Etenim quid accidere
potest iucundius , quam de amici fidelis , & integritate
animi conspicui salutem , sperataque studiorum amplifica-
tione percipere ? Parantur eum in finem amici , vt par-
ticipes non modo fiamus illorum rerum , si quæ sint ,
aut futuræ sint , secundarum ; sed & vt præsidio nobis
sint , ac solatio in aduersis & vitæ curis quotidianis , ne
cor ambedant . Nostra amicitia ab utroque culta est
candide ; in primis quum in hac academia , in coniunctu
Viri , cuius auctoritate , prudentia , humanitate idem-
tidem exacuebamur , simul ageres , & locupletares eru-
ditionem . Itaque mihi liceat in fortunam , quæ cæle-
sti tibi beneficio nuperius contigit , inspicere ; & patia-
ris me ex parte aliqua in societatem tui gaudii venire ,
felicitatisque . Ego certe , postquam ex hoc bonæ men-
tis templo discessisti , bonis te prosequutus sum omni-
bus : neque desii æternum numen precari , vt res tuas
singulas feliciter iuberet procedere . atque votis adnuit
diuina benignitas , & voluit te in ciuitate patria grato ,

atque honesto muneri præponi. Ita vero agit D E V S cum iis, qui pura & integra mente eundem colunt: tandem concedit, licet hæc & illa præue callidi suscipiant, & impertitur, quæ ipsis commoda, & salutaria. D E V M supplex veneror, vt munere & officio, quo decoratus, præclare, & certo ciuitatis bono perfungaris: perque illud in tempore maiorem surgas ad dignitatem; gloriisque autam tuis propages virtutibus.

Quando præter alia, quæ in re litteraria fiant, rogasti me, vt tibi perscriberem; præcipue quid sentirem ego de Adolphi Clarmundi vitis clarissimorum in re litteraria virorum, cum iconibus Vitembergæ vulgari occœptis: faciam quidem id, sine verborum ludibrio, & famæ, qua cetera eminet, auctoris fugillatione. Valde enim, quod nosti, a more & consuetudine illorum abhorreo, qui ex fastu, soloque litigandi, & contuiciandi pruritu alios petunt: indignum censes diuinæ, & humanæ sapientiæ studium profitentibus, rixis, & altercationibus inter se committi. Itaque statim intelliges, me non, placide nisi, laturum de iis, quæ flagitasti, iudicium.

Evidenti, doctissime Vir, magnam gratiam inueniunt a doctis hominibus; neque non de iuuentute litterarum studiis mancipata insigniter merentur, qui vitas clarissimorum virorum ad æui memoriam institutint prodere. præter enim quam quod historiam, quam vocant litterariam, mirabiliter adiutant, in primis si viam, quam

EPISTOLA

5

quam clarissimus **BOSIVS** introductione in notitiam rerum publicarum, doctissimusque **MORHOFIVS** polyhistore, ostenderunt, ineunt; efficacissima sunt incitationa ad virtutis, claritudinisque laudem deproperandi. Neque vero minorem sibi laudem conficiunt, qui addunt illorum, quos scriptis illustrant, imagines, quas non tantum repertas esse constat ex Sallustio, & Plinio iuniore, vt illas antiquitus in atrii suspensas intuenti animus inter alia vehementer accenderetur ad virtutem; essentque antiqui generis signa: sed etiam, vt & iis de hominum ingeniis posset existimari. Verissimus enim, minimeque fallax animi index est vultus, quod nullo non tempore est visum prudentioribus. Quid ergo antiquius & prius habere debeant, qui fingunt illas, quam quo vere, atque vt sunt, fingantur, certe non video. Adsumant igitur oportet, qui operam hanc occupant, sollertes pictores, sculptoresque, quique hominis speciem perdidicerint pingere, & arte polita perficere. Huius vero impendii, diligentiae, industriae, elegantiæque pauci oppido sunt, qui laudem ac gratiam promereantur. Ita vero deprehendere licet in dicti **Adolphi Clarmundi** vitis: qui semper iconas coepit praefigere: de quibus autem docti, & prudentes non ita iudicant, vt ipse fortassis praesumit. Quod ad institutum ipsum attinet, nemo forte illud ita contemserit, enixo enim studio doctorum hominum memoria est excitanda; nisi id insolens, atque non aptum videretur, cur Teu-

A 3

to-



tonico idiomate vitas conscriperit: verum si ad studium in exprimendis imaginibus attenditur, omnino superficiarium est, & tamquam inutile deculpandum, reiiciendumque.

Nihil ad te dicam, amice optime, de peregrinorum, aut antiquiorum paullo hominum eruditissimorum picturis, quam haec incultae, humiles, horridae, torvae adpareant: in praesenti tantum mentionem faciam **GEORGII SCHVBARTI**, qui quoad vixit, in Ienensi academia cunctas artes ingenuas docuit, & conseruavit: cuius secundo tomo præfixa cernitur effigies. Sed in illa adeo deerrauit auctor, ut ne minima quidem sua parte conueniat cum laudato viro; cuius tamen ut similitudinem exprimeret, adiecta est.

Neque quid de vestis habitu scribam. hic prorsus refert alium, quam quo, dum vita suppeteret, usus est ipse. Numquam enim focale, quo diuini verbi præcones ornantur, indutus incessit; neque suum ipsius, quemadmodum pictura habet, capillum, sed adscitum gestare fuit solitus. E tota facie ne tantillum quidem eluet, quod **SCHVBARTI** similitudinem reddat. oblonga ista potius erat, quam rotunda: ipso adspicere iudicasses, naturam meliorem ab omni obscurae, obliquae indolis opinione vindicasse. candor, libertas, modestia, grauitas, acrimonia emicabat ex vultu.

Quod si igitur auctor Clarmundus noluisset vide ri, ac si imperitiores in errorem impellere potius, quam ad-

EPISTOLA

adiuuare quæreret; rectius longe fecisset, si vel omisisset
plane; vel elegisset artificem, qui vt exprimeret ima-
ginem, dedisset operam.

Quod si vero dicat auctor, se SCHVBARTI imaginem reperire non potuisse; quæsto te, vir doctissime, cur eam tomo suo adiecit? cure ex suo finxit ingenio? Itaque quis doctorum magnorumque hominum, cum ex vultu eorum iudicatur, & ex aspectu proficitur, æquo ferret animo, se pingi totum aliter, atque natura, parentis alma rerum, formauit? Aliquot abhinc annis SCHVBARTVM ad viuum usque depinxit ætatis nostræ pictorum τιμαλφέσατος de Sande; quare optandum, ut videret auctor imaginem hanc. erubesceret, ominor, ad ipsam suam, quam orbi inscius statuit. Verum enim vero, si IO. PHILIPPI SLEVOGTII, quem honoris cauissa nomino, programma, quod in beati viri exsequiis concinnauit, academiae nomine, vocasset in auxilium, vere ibi pictum, deprehendisset: ita vt obesioris esse naris oporteat, qui ex eo queat monimento SCHVBARTVM non optime sibi ante oculos proponere: *Corpus*, ibidem dicitur, *procérum ac tenue*: *vultus ille animi index fere adductior*, *severitatis aliquid, ac pariter, ut incessus, meditabundi specimen præ se ferens, arcane quodam oculorum lumine*. Atqui quid clarius & conuenientius his verbis excogitari poterit?

At si liceret ad alias quoque progredi virorum, quas addidit imagines, nullo negotio testatum possem face-

facere , quam grauiter in iisdem halucinatus fuerit.
NAM & IO. ANDREAE BOSII, immortalis Ienensis aca-
demiae ornamenti vultus tam est obscure confectus,
vt, nisi additum nomen, nemo posset ipsum agnosce-
re. Quod si vero iis, quos ætas nostra tulit ; quosque
de facie nouimus, tam temere adspersit pigmenta , num,
amice, reliquorum , quorum vna notitia ex picturis de-
bet adquiri, faciem effigi potuisse adspersione fortuita
putas?

Vtinam vero tantum in imaginibus delineandis of-
fendisset ! tolerari istud, quamuis ægre, potuisset : sed
in descriptionibus quoque ipsis nimium quantum a veri-
tate non raro declinavit ; minimeque se Clarmundum,
sive ut ita exprimam , sinceræ veritatis amatorem præ-
sttit. Considera, amice iucundissime, quæ de eodem
SCHVBARTO, reliquos enim & heic vltro prætero, -
est commentus. Multa quidem bene, vereque scri-
psit ; sed ea non tam scripsit , quam in vernacula vertit. Prosternat laudati **SLEVOGTII** elegantissimum
programma , quod vitam **SCHVBARTI** inde ab origine repetit, & ad mortem vsque curate persequitur .
Ex hoc desumpta sunt , quæ habet vera, multa tamen
omissa. Fidelius igitur fecisset , famæque, ac veritati con-
suluisse melius, si dictum addidisset programma ab aca-
demiæ patribus probatum; atque a bonis, & candidis
virtutum æstimatoribus cum cura exceptum : non quod
SCHVBARTI mortem obnunciaret ; nemo enim, ni-

fi

EPISTOLA

9

si impius fuit, qui ex tanti viri excessu lætitiam ceperit:
sed quod SCHVBARTVM ita expresserat, vt neutram
in partem nimium prædicaret, non enim auditus, sed
cognitus prædicabatur.

Quæ Clarmundus porro addit, multam partem
ita sunt comparata, vt, qui SCHVBARTVM penitus in-
spexerunt, & monumenta, vix adducantur, vt credant.
In iure non erat versatus mediocriter, vt ille quidem pa-
gina ducentesima & octogesima quinta iudicare non e-
rubescit. Ego in præsenti apud te non agam doctri-
næ, qua beatus vir fuit vtroque in iure prædictus, ad-
sertorem, aut panegyristen: neque conducam, quibus
vñs doctoribus, qui summi sunt: neque adlegabo testi-
menia, quæ in eo fuerit perspicacitas mentis, & vis
ingenii penetrandi ad interiora: altæ conditiones, quas
non petebat, sed vltro ferebant, penes quos vocandi
erat potestas, argumento sunt locupleti, quanti apud
peritos viros, rerumque meliorum intelligentes sit fa-
ctus. ALTDORFFENSIS, KILONIENSIS, FRAN-
COFVRTENSIS AD ODERAM, ET HELMSTADIEN-
SIS academiæ nouerunt excellentem viri doctrinam,
non in elegantioribus tantum litteris, quæ laus ipsi pæ-
ne propria est; sed & in iuris vtriusque adcurata cog-
nitione: quare non vna tantum vice euodem expopo-
scerunt.

Neque vero Germani tantum exquisitam eius eru-
ditionem suspexerunt, dilexeruntque; sed cultiores ex-

B

teræ

teræ gentes, quod paucis, quos æquus amauit, contingit, ita eum adamarunt, & obseruarunt, vt non dubitarent, litteris frequentius missis honeste illius partim ambire, partim alere amicitiam, immo etiam publice, ac modo legitimo ad se deuocare. Quæ quidem, quantum ego arbitror, non erant prætereunda, quum ad viri existimationem, melioremque virtutum cognitionem possent facere. Consequitus autem tantam famam nominis erat variis euulgatis cum suis, tum aliorum summorum virorum scriptis, ac litteris; nec non profectione, cuius tamen auctor nullam prorsus mentionem iniicit: vtrum eius sit oblitus; an vero ad laudem beatissimi parum putet facere, vix ego intelligo. Hoc certum est, illa profectione plures sibi summos viros deuinxisse SCHVARTVM; ac præstantem sibi paruisse doctrinam, neque non strauisse viam ad honores & tantæ laudis magnitudinem.

Quos edidit libros, summam nauabat operam, vt quam emendatissimi, limatissimique exscriberentur. Vnde non est, quod vel auctor, vel aliis quidam, quisquis etiam ille fit, de castitate stili, & terestate eius addubitet. Quod enim ad inscriptionem illam dissertationis suæ, quam docti tamquam præcipuum ingenii monumentum habent, *de Diluvio Deucalionis*, attinet, vbi auctor velex suo ipsis us ingenio, vel vti quidem præ se fert, ex aliorum scriptis barbarismi cuiusdam insimulat, quasi *diluuii vocabulo* minus latine fit pro *eluuio* vsus: nec ego, nec aliis

lius forte, qui altero tantum oculo intuitus est in antiquorum scripta, ipsi adiiciet calculum. Illud enim dilunii vocabulum latinum est, optimaque latinæ linguæ ætate frequentatum; remque omnem quam commodissime explicat, & exhaustit. Quamuis enim delectatus eo Virgilius, libro VII Aeneidos, versu 228, de excidio & vastitate Troiae, vti Seruius explicat; idem tamen auctor eamdem vocem de inundatione aquarum, earumque superfusione vniuersa perturbante usurpauit XII Aeneidos libro, quando a versu 230 ita canit:

*Quo rescumque cadent, nec me vis illa volentem
Auerteret: non, si tellurem effundat in undas
Dilunio miscens, cœlumque in tartara soluat.*

Immo Plinius Secundus, qui dictione tersa, elegante, & Attica, si quis alias post Ciceronem vtitur, libri IX epistola XVII, quam ad Macrinum suum dedit, clarum facit, dilunii vocem exundationis aquæ loco adhiberi posse, quando epistolam suam ita orditur: *Num istic quoque immitiæ ac turbidum cœlum? Heic adsidue tempestates, & crebra dilunia. Tiberis alueum excessit, & demissioribus ripis alte superfunditur. & reliqua. Elunii vero vocabulum, quod Clarmundus dilunii voci præferendum putat, vix apud latinitatis auctorem ullum reperietur.* Videat igitur Clarmundus, ne nimia curiositate sua turbet, ac depravet potius Romani sermonis castimoniam, elegantiamque. Neque vero credo, hæc de inscriptione commemoratae dissertationis SCHVBARTI scripturum fuisse

Clar-

Clarmundum, si habuisset in animo, recoluissetque Henr. Iulii Scheurlæi, meliorum litterarum in Iulia vindicis verba, quæ habet in Statua Mercurii: *Difficillimum est, de stilo pronunciare, difficilius adbut, non esse latinam aliquam vocem statuere.* ut enim adfirmes, *unicum te legisse auctorem classicum sufficit, is quippe solus ciuitate donare vocabulum potest: at negatiuas emittere de re eadem voces,* & hoc aut illud non esse latine dictum, adserere, hoc opus, hic labor est, nec audet sine maxima temeritate, qui omnes in uniuersum non perlustrarit.

Gratum interea quoque fecisset, si & alia, quæ ipsi, vt perhibet, cognita fuerunt, barbara, & minus pure dicta, aut de stilo, & numero oratorio, quo de minus quoque benigne iudicare videtur, addidisset; ita enim subministrasset occasionem in rem maiore inquirendi cum diligentia, & adecuratione.

Atque hæc, Amice, sunt, quæ, vt voluntati tuæ obtemperarem, ad te debui, aliis ex rebus sollicitus, scribere, quæ tu pro egregia tua doctrina, singularique ingenii bonitate magis tecum considerabis. Ego certe hac in sententia sum, fuique cum ad te scribebam, vt nulla Clarmundum lacestam iniuria; vocemque ad nullas inimicitias: hæc enim cum abhorrent a litteris, & humanitate; tum contrariae honestati, & dignitati sunt. Ita vale, nouisque tuis honoribus maecte. e museo X Kal. Mart.

MDCCIV.

B.I.G.

Farbkarte #13

Black

3/Color

White

Magenta

Red

Yellow

Green

Cyan

Blue

Centimetres

8
7
6
5
4
3
2
1
1
2
3
4
5
6
7
8
9
10
11
12
13
14
15
16
17
18
19
inches
1
2
3
4
5
6
7
8
9
10
11
12
13
14
15
16
17
18
19

IV 52
Z e
3820

227/27

EPISTOLA
QVA
AMICVS AMICO
IN CIVITATE PATRIA
COLLATVM MVNVS
FORTVNATVM ESSE IVBET
ET DE
ADOLPHI CLARMVNDI
CLARISSIMORVM IN RE LITTERARIA
VIRORVM VITIS
ET ADIECTIS ICONIBVS
IN PRIMIS
GE. SCHVBARTI
DISSERIT

APVD IOANNEM BIELKIVM.

MDCCIV.

